



# Disputatio juridica inauguralis de testamentis

<https://hdl.handle.net/1874/347315>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**TESTAMENTIS.**

*Q V A M,*

ANNUENTE DIVINA GRATIA

*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**D. HERMANNI van HALEN,**

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbiq[ue] Divini ibidem in  
Ecclesiâ Præconis,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimeque*

*Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
ritè & legitime consequendis,

*Eruditorum examini subicit*  
**JOHAN WILLEM VERBRUGGE, HAGA-BAT.**

*A.D. 16. Decembris, horis locoq[ue] solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, c[lo]c lcc LXXXIX.

47.

*Nobilissimo Amplissimoque*  
*V I R O,*  
**D.D. GUILIELMO**  
**VERBRUGGE,**

J. C. Ordinum Illustrium ac  
Præpotent. Zelandiæ nomi-  
ne ad Cameram Rationum  
Fœderati Belgii nuperrime  
delegato, Parenti suo , nun-  
quam non venerando, obse-  
quendo.

*Hacce qualescumque Studii sui Juridici Primitias,  
qua decet reverentia & obsequio ,*

Offert

JOHAN WILLEM VERBRUGGE,

AUCTOR.



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
TESTAMENTIS.

THESIS I.



Odos juris civilis acquirendi tum singulares tum universales plures esse vel unicus §. ult. inst. per quas pers. cinq[ue] acq. satis ostendit; quorum tamen nonnulli rursus exoleverunt: Inter eos vero qui nunc sunt (intelligo universales) quique hodie usum habent, vel maxime eminent acquisitione hereditatis, de qua pauca praemittere è re visum fuit.

II.

Estque hereditas nihil aliud quam *successio in universum jus quod defunctus habuit*. l. 24. ff. de V. S. quo modo & Julianus eam definit in l. 62. ff. de R. J. *successionem*, cum dicimus hoc ita cum aliis interpretamur; Hereditas est successio in universum jus defuncti, id est, universum jus defuncti in quod succeditur; eo modo quo thesaurus depositio dicitur pecuniae l. nunquam 31. §. 1. ff. de ac. rer. dom. pro pecunia depo-

A 2

depo-

#### 4 DISPUTATIO JURIDICA

deposita; uti & servitus constitutio juris gentium §. 2. *J. de jur. pers. l. 4. ff. de stat. homin.* id est, res jure gentium constituta. Adjicitur porro, *in universum jus defuncti*, ut intelligamus omne commodum ut & incommodum, virtutes ac vicia, quae in defuncto fuere, omneque jus defuncti in successorem transire *l. 11. C. de acq. poss. l. 156. §. 2. ff. de R. f. l. 6. ff. de except.* Continet enim hereditas tam jura quam corporalia, quae in bonis quæque ex bonis sunt, & quorum non proprietas modo, sed & emolumenntum, usus aut periculum ad defunctum spectavit, *l. 18. in fin. cum ll. seqq. ff. de hered. pet.*

#### III.

Ea autem defertur vel testamento adeoque ex dispositione privatorum, vel ab intestato; ex dispositione legis §. ult. in fin. *J. per quas pers. cuique acq. l. 1. 2. & seqq. ff. de hered. per. potior tamen habetur ea, quæ ex testamento est, l. 89. ff. de R. f. nec enim locus datur heredibus ab intestato, quamdiu successio et testamento speratur. l. 39. ff. de acq. hered.*

#### IV.

Appellatur autem testamentum ex eo quod testatio mentis sit pr. *J. de test. ordin.* non quod hæc testamenti sit definitio vera vel Etymologia sed allusio potius emphatica à re ipsa quæ in Testamento versatur, desumpta *l. 19. ff. de cond. & demonst. l. 35. §. 3. de hered. instit.* Cujusmodi crebras apud Nostros invenire est. Qualis est illa Pauli & Labionis, qui possessionem appellatam scribunt à sedium positione *l. 1. in pr. ff. de acq. posses.* Sic Gajo in *l. 2. ff. de divorc. & repud.* Divortium à diversitate mentium dictum est. Similiter & apud Ulpianum novationem à nova obligatione nomen accepisse legimus *l. 1. ff. de novat.* & id genus alia passim.

#### V. De-

## INAUGURALIS. 5

## V.

Definitionem testamenti habemus apud Modestinum *l. 1. ff. qui test. fac. poss. Testamentum*, inquit, *est voluntatis nostra justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri vult*. Sunt quibus magis arridet illa Ulpiani in fragm tit. 20. pr. qui sic definit; *Testamentum est mentis nostra justa contestatio, in id solenniter facta ut post mortem nostram valeat*. Alii aliter adhuc sic Quintilianus, *declam. 308. Testamentum definitivit voluntatem defuncti consignatam jure legibusque Civitatis*. Nos Modestini definitionem in *d. l. 1. traditam explicabimus.*

## V I.

Dicitur *voluntatis* cui nihil tam contrarium est quam vis ac metus *l. 116. ff. de R. J.* Unde & testamentum vi metuque factum ipso jure licet subsistat, ex Prætoris tamen Edicto rescindendum est *l. 1. ff. quod. met. caus.* Additur *nostra* alius cum pro alio testetur inutiliter. Nam satis constanter decrevere Veteres, testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, nec alieno pendere ex arbitrio, uti testis est Gajus in *l. 32. pr. ff. de hered. instit.* Sequitur *justa sententia* id est quæ legibus conformis est *l. 4. ff. qui test. fac. poss.* illa vero conformitas maxime in solennibus cum consistat, non potest non per justam hic & solennem intelligi: atque in hoc differt testamentum à Codicillo ut & mortis causa donationibus omnibusque aliis dispositionibus imperfectis.

## V II.

Additur & *de eo quod quis* indefinite scilicet ac universaliter, ut intelligamus latissimam testatoribus tribui potestatem, quicquid voluerint, disponendi *l. 120. ff. de V. S.* Modo juris regulæ observentur, quas nulli, tametsi leges adversus

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

moribundos sint indulgentissimæ, negligere vel abolere fas est vid. omnino l. 13. C. de *testam.* Denique & illud adjicitur *post mortem suam*, estque hoc ideo, quia ut viventis nulla est hereditas, ita Testamentum post mortem demum vires accipit; cum voluntas hominis ad supremum usque vitæ exitum sit ambulatoria. l. 4. ff. de *adimend.* legat. l. 32. §. 3. de *donat. inter vir. & uxor.*

## VIII.

Condere autem Testamentum possunt omnes qui non prohibentur arg. l. 43. ff. de *procur.* Prohibentur quidam ob statum suum alii ob defectum. Et quidem propter statum testari non possunt servi, quicquid ab hostibus capti sunt l. 8. §. ult. & l. 16. ff. *qui test. fac.* §. ult. f. *quib. non est permis. fac. test.* Cum Captus jure belli servus fit hostium. Sed nec Obsides, nisi eis permittatur, testamentum facere possunt l. 11. ff. *qui test. fac. poß.* l. 31. ff. de *jnr. fisci.* Qui autem à prædonibus capiuntur, quia liberi manent, l. 19. §. 2. ff. de *capt.* & *postlim.* Testamenti factionem retinent, ut & illi qui apud exterros legatione funguntur l. 11. in *pr.* & §. 1. ff. *qui test. fac. poss. & ibi Cuiac. add.* Graff. §. *Testamentum quæst.* 25. vafq. 3. *contr' 103. n. I.*

## IX.

Cæterum nec peregrini neque deportati recte testantur l. 8. §. 2. & ult. ff. *qui test. fac. poss.* uti nec capit is damnati d. l. 8. §. fin. & l. 13. §. ult. eod. l. 6. §. 8 ff. de *injust. rupt.* quod & novo jure civili verum est, nec, ut Multi putant, correctum per Nov. 134. c. ult. utpote qua constitutum est tantum ne eorum qui ad mortem damnati sunt, bona fisco applicentur, quam si ascendentes deficiant & descendentes ad tertium usque gradum. Sed neque filius familiæ testandi jus habet pr. f. *quib. non est permis.* l. 6. ff. *qui test. fac.* illud cum tantum Pa- tri-

## INAUGURALIS. 7

tribus fam. concesserit Lex XII. tabb. Cujus verba sunt; *Pa-*  
*terfam. uti legasset super pecunia intelave sua rei ita jus esto.*  
Autore Cicerone I. Rheticor. ad Herennium.

### X.

Et cum Testamenta ab alieno non oporteat pendere arbitrio vid. omnino l. 32. ff. de hered. inst. Testamentique factio juris sit publici l. 3. ff. qui test. fac. poss. l. 45. ff. de R. f. non privati, quod proinde auctoritate privata haud immutari potest l. 6. ff. qui test. fac. poss. Sequitur ne quidem permittente patre filium testari posse d. l. 6. ff. eod. quod tamen in donatione mortis causa (quoniam contractus magis est privatique juris) nulla lex vetat l. 25. §. 1. ff. de donat. can. mort.

### X I.

Illud tamen & filios fam. Concessum est ut non tantum de bonis castrenis in Militia sed & domi testari possit, l. 2. ff. de castr. pecul. l. ult. C. de inoff. testam. quod & ad quasi castrense peculium extensum est in l. ult. C. qui test. fac. poss. nec mirum cum in hisce peculiis filius fam. pro patrefam. reputetur l. 6. §. ult. ff. de injust. rupr. l. 2. ff. de Scto. maced. De Perfectio igitur peculio Testamentum condere filius non potest uti nec de adventitio sive pater ejus habet usumfructum seu non habet: & quæso cur in una specie adventitiorum filio concederetur testandi facultas in altera denegaretur? cum sola ususfructus à proprietate separatio Impedire non potest, quo minus jus sit de proprietate testandi. pr. Inst. de hered. inst. l. 25. ff. de V. S. atque hæc etiam communis est Interpp. sententia.

### X I I.

Præterea defectus animi facit quo minus testamenta condere possunt

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

possunt impuberes §. 1. *Inst. quib. non est permis.* qui scilicet annum ætatis decimum quartum nondum compleverunt si sint Masculi, in fæminis vero annus est duodecimus. l. 5. ff. qui test. fac. poss. Sicuti & furiosi juxta distinctionem in d. §. 1. traditam. Ratio est in l. 40. ff. de R. *J. quibus & annumerandi mente capti. arg. §. 4. J. de curat.* Prodigus quoque cui bonorum suorum administratio interdicta est, testamentum facere non potest. §. 2. *J. quib. non est permis. fac. test. & si fecerit ipso jure non valet.* l. 18 ff. qui test. fac. poss.

### X III I.

Propter corporis autem vitium testari prohibetur surdus & mutus §. 3. *J. quib. non est permis.* & l. 6. §. 1. ff. qui test. fac. poss. nisi à principe ut sibi testari liceret, impetraverit. l. 7. ff. eod. Postea vero constituit Justinianus Imp. ut, si quis mutus & surdus simul sit, siquidem natura, is omnino Testamentum facere non possit; sin casu ut possit; modo literas ante didicere, ut scripto voluntatem supremam exprimere queat. At si quis mutus tantum, aut surdus sit, sive tales sint natura seu morbo, his jure testari liceat quomodo possint. l. 10. C. qui test. fac. poss.

### X I V.

Multo magis igitur jure testabitur is qui tardius forte exaudit vel loquitur. §. 3. *J. quib. non est permis.* quid si balbutiens sit? adhuc idem dicendum, modo, si heredem viva voce nuncupare velit, à testibus exaudiri ac intelligi possit. l. 15. C. de testam. alias vero non l. 29 C. eod. Cæcus autem Testamentum facere non potest nisi juxta formam in l. 8. C. qui test. fac. poss. præscriptam quæ est, ut Cæcus heredem nuncupaturus præter numerum testium ordinarium adhibeat & Tabularium, aut si ejus copia non sit, octavum testem, qui voluntatem nuncupantis scripture excipiat, cui deinde testes omnes & Tabellarius subscri-

scribant, eamque obsignent, uti sit in testamentis scriptis: aut si prius testamentum suum scripto comprehendendi curavit, ut Tabularius coram testibus eam scripturam palam legat, eaque lecta Cæcus testetur, hanc suam voluntatem esse; Deinde omnes subscriptant signentque hucusque de personisquæ Testamenta condunt,

## X V.

Dividitur autem Testamentum ex jure posteriori (cum vetus testandi ratio de qua in §. 1. *J. b. t.* jam abolita sit) in solenne ac privilegiatum; illud est secundum juris solennia conficitur; hoc vero in quo vel omnia vel quædam solennia remissa sunt. Utrumque rursus vel *scriptum* est vel *nuncupatum*; hoc viva testatoris voce perficitur. de quo infra. Illud quod in scriptis testator facere voluit, nuncupatur. §. ult. *J. de test. ordin.*

## X VI.

Testamentum autem, per ipsum testatorem. *I. 29. C. de testam.* an per alium ejus jussu. *I. 28. ff. qui test. fac. poss. scribatur*, nihil interest; nec etiam refert qua in Materia, in tabulis, an chartis membranisve. §. 12. *J. de test. ord.* quove sermonis genere, quave lingua quis testamentum conscribat. *I. 21. §. ult. I. 15. C. de testam.* modo literis scribatur iisque usitatis non signis obscurisve notis. *I. 6. §. ult. ff. de bon. poss. & Nov. 107. c. 1.*

## X VII.

Sed & unius testamenti plures esse codices nihil vetat. §. 13. *J. de test. ordin. I. 24. ff. qui test. fac. poss. I. 1. §. 5. ff. de bon. poss. sec. tab.* omnes modo sint authentici. d. *I. 1. §. 7. sec. tab.* rem ita explicat Papinianus in *I. ult. ff. que in test. delent. pluribus tabulis,*

## XI DISPUTATIO JURIDICA

lis, inquit, eodem exemplo scriptis unius testamenti voluntatē eodem tempore dominus solenniter complevit. Quid si binis ex codicibus ejusdem testamenti unum deleverit testator vel inciderit, heresne scriptus ex integro hereditatem recte petet? Sed & hoc idem eleganter docet, si quasdam tabulas, pergens, in publico depositas abstulit, atque delevit, quae jure gesta sunt, præsertim cum ex ceteris tabulis, quas non abstulit, res gesta declaretur, non constituentur irrita. Nisi animum habuisse testatorem adimendi hereditatem, hi, qui ab intestato venire desiderant, approbaverint; quemadmodum & Paulus ad evandem Papiniani locum notavit; Sed si ut intestatus morereatur incidit tabulas, & hoc approbaverint, hi qui ab intestato venire desiderant, scriptis à vocabitur hereditas.

### XVII.

Adhæc testamentorum requisita vel communia sunt ut pote quæ in omni etiam Privilegiato testamento locum habent vel specialia quæ tantum in solenni obtinent testamento. Inter Communia primo ponitur heredis institutio. l. 1. ff. de hered. §. 4. f. de hered. qual. & diff. quæ caput intelligitur atque fundamentum totius testamenti. §. 34. f. de legat. Deinde ut is qui Testamentum fecerit, testamenti habeat factiōnem, oportet. l. 4. ff. qui test. fac. poss. Hanc autem duplēm vulgo agnoscunt interpres, activam & passivam; illam in potestate testamenti condendi, hanc in jure percipiendi ex testamento consistere docent; habetque distinctio hæc fundamentum suum in §. 4. f. de hered. qual. & diff. quod & infra usū veniet. Tertium denique vult requisitum ut voluntas testatoris probetur per §. 1. f. de milit. testam.

### XIX.

Specialia autem Testamenti requisita sunt 1. ut fiat unico contextu, id est uno eodemque tempore. l. 21. C. de testam. nullo-

## I N A U G U R A L I S. II

nulloque actu interveniente extraneo qui ad testamentum non faciat. *I. 21. §. ult. ff. qui test. fac. poss. & d. l. 21. C. eod.* qualis proculdubio habetur contractus. *I. 20. ff. de V. S.* uti id pluribus confirmat Vigilius ad §. 3. *J. de test. ord. n. 5.* aliquique passim. Proinde testator in ipso actu testandi si quidem sat, vendat aut locet uni ex testibus vel praesenti vel per procuratorem, testamentum non valere dicemus: quia verum non est, uno contextu id esse factum. Plane si contractum in testamento prius cum alio celebratum professus sit testator, dubium non est, quin heres ad eum implendum teneatur, per *I. 37. §. 5. ff. de legat. 3.*

### X X.

Sicuti & ea omnia que declaratione constant solius testatoris, et si contractibus similia, recte in testamento fiunt, qualis est divisio rerum communium. *I. 32. ff. famil. eric. assignatio liberti in I. 1. §. 3. de assign. lib.* ut & pignoris constitutio in *I. 26. ff. de pign. act.* hoc cum in testamento non per modum constitutatur contractus, sed legati: nec diversum est in *I. 36. ff. de ritu. nupt. junct. I. 2. ff. de sponsal.* ubi pater non despondere sed destinare filiam nuptias, suamque de iis voluntatem duntaxat explicare dicitur.

### X X I.

Cæterum quæcunque de unitate contextus modo diximus haud eo pertinent, ut testator eodem tempore teneatur & testes adhibere & Testamentum scribere vel dictare ac finire: sed ad nuncupationem testamenti, sive ipsam testationem & declarationem voluntatis, cum scilicet Testamentum subscribendum & obsignandum testibus eam in rem adhibitis offertur, nam quin tempore alio Testamentum conscribere, scriptiōneque saepius interrumpere, alio vero testes ad solennia adhibere possit, non ambigitur. *I. 21. C. de testam.*

B 2

XXII. Nec

## XXI.

Nec etiam jus nostrum tam incivile est, ut omnem omnino actum à testamento alienum penitus excludat; quid si morbus testatoris ut ipsi potio offeratur, vel testium. Quid si naturæ necessitas aliud efflagitet? non propterea Testamentum vitiabitur. *l. 28. C. de testam.* ut tamen si quid supervenerit, ob quod aliquis è testibus diutius abesse cogatur, alias substitui testis debat.. *d. l. 28. C. de testam.*

## XXIII.

Sequitur secundum requisitum quod exigit numerum testium septem. §. 2. & 3. *J. de test. ordin.* *l. 23. ff. qui test. fac. poss.* Oportet igitur testamento adhibentur septem testes iisque idonei, ut per ampliores homines perfectissima veritas reveletur. *l. ult. C. de fideicom.* adeo uti vel uno de septem deficiente, jure deficiat Testamentum. *l. 12. C. de testam.* moribus vero nostris uti refert Grotius, *Intro. l. 2. part. 17. n. 15. & 16.* duo sufficiunt testes cum tabellione vel Secretarius duobus cum scabinis. Nisi quis liberos suos testamento exheredes faciat, quo casu scabinos testes requirit: dicum Caroli quinti vid. Groenew. ad §. 3. *J. de test. ord.* Tertio necesse est ut & testes specialiter ad hoc sint rogati, testamento faciendo ad sint testimonii gratia. *l. 21. in pr. C. de test. & auth. rogati C. de testibus.* quod si alterius forte negotii causa convenerint testes, de testamento faciendo ipsos certiorari sufficit. *l. 21. §. 2. ff. qui test. fac.*

## XXIV.

Quarto requiritur ut testator & testes propria manu testamento subscribant. *l. 30. ff. qui test. fac. poss.* §. 3. *J. de test. ord.* nisi testator ipse Testamentum manu sua totum conscriperit seque id manu sua totum scripsisse nominatim exprimat. *l. 28. §. 1. C. de*

*de testam.* quod vulgo Testamentum Holographum dicitur.  
Quod si literas testator nesciat octavum testem , qui subscri-  
bat, adhibere debet *l. 21. C. cod.*

## X X V .

Fuit & quintum requisitum ut testes singuli annulo subsi-  
gnent §. 5. *J. de test. ord. l. 22.* §. 5. ff. qui test. fac. poss. eoque  
vel proprio vel alieno puta testatoris vel alterius. cuiuscunque  
*l. 22.* §. 2. ff. qui test. fac. *l. 12. C. de testam.* Sed & uno annulo  
Testamentum omnes signare possunt *d. §. 5. J. de test. ord.* Tu-  
tum tamen fuerit , si qui alieno signavit annulo , ejus rei in  
subscriptione fecerit mentionem , quo tamen omisso falso ipsum  
teneri haud recte probant *D. D. ex l. 27. §. fin. ad l. Cornel.*  
*de fals.*

## X X VI .

Non tamen quovis impresso seu signo sed solo annulo *χα-*  
*ρωτηρία* seu sculpturam habente , signare testes apud Roma-  
nos poterant *l. 22.* §. 5. ff. qui test. fac. poss. Estque hæc con-  
stans omnium liberorum lectio ; quapropter nec assentiri au-  
sim Donello qui particulam non *d. l. 22. §. 5.* inferendam pu-  
tat quasi sensus sibi haud constaret , nimiaque hæc esset atque  
scrupulosa subtilitas ; cuiusmodi tamen veteribus fatis fuisse  
familiares abunde constat. Vid. Cujac, *lib. 14. Obs. II.*

## X X V I I .

Hisce autem omnibus ne ulla fraus adhibeatur & hoc addi-  
tum est sexto , ut per manus testatoris vel testium , nomem  
heredis exprimatur §. 4. *J. de test. ordin. l. 29. C. de testam.*  
verum & hoc remissum postea & abrogatum est in *Nov. 119.*  
*c. 9.* & merito ne testator palam , quis sit heres significare  
cogatur ; qui finis est principalis , ob quem & testamento  
fieri per Scripturam initio utile visum fuit. Vinn. ad *d. §. 4.*  
*J. de test. ordin.*

## XXVIII.

Denique septimo & testium præsentiam requirimus ; neque satis est corpore nisi & animo sint præsentes, intelligentaque voluntatem testatoris. Hoc amplius & in conspectu testatoris , testimonii officio fungi ipsos necesse est l. 9. C. de *testam.* ita ut fraus omnis evitetur , alio forte subornato qui vocem testatoris imitando similem uti id aliquando evenisse refurerunt D. D. ad l. 9. C. de *testam.*

## XXIX.

Nec sufficit septem testes adhibitos esse ; sed & conditio-  
nem cuiusque inspici ac non nisi idoneos admitti placuit ;  
quales habentur in quibuscum testamenti factio est , seu ex  
Testamento qui capere possunt §. 6. f. de *test. ord.* Inhabiles  
vero sunt testes vel per se suaque natura vel per accidens qui  
alioquin naturâ habiles sunt. *Prioris genesis* habetur mulier  
quaे quidem testimonium in Testamento dicere non potest  
l. 20. ff. qui *test. fac. poss.* quod ex jure antiquo remansisse  
putamus quo fæminæ à comitiis arcebantur in quibus & Te-  
stamenta fieri solebant teste Gellio lib. 15. noct. att. c. 27.  
cum vel in judicio capitali mulier alias testis esse posset. l. 18.  
ff. de *testibus.* & d. l. 20. §. 6. ff. qui *test. fac.*

## XXX.

Sed neque impubes , neque servus , neque furiosus , ne-  
que mutus , neque surdus , neque is cui bonis interdictum  
est , in numerum testium , adhiberi possunt §. 6. f. de *test.*  
*ord.* hi quoque quos leges jubent improbos esse intestabilis-  
que à testimonio arcentur d. §. 6. & non tantum ejus qui  
intestabilis est , testimonium non recipitur sed eo amplius  
neque ipsi testimonium dicitur l. 26. ff. qui *test. fac.* l. 18. ff.  
*eod.* Exempla eorum sunt in l. 20. §. 5. ff. qui *test. fac. poss.* l.  
5. C. ad L. *Jul. majest.* l. 21. ff. de *testib.*

XXXI.

## X X X I.

Cæterum & conditio testium quando spectanda sit videntur est; & placuit eam Testamenti facti non mortis tempore spectari. *l. 22. §. 1. ff. qui test. fac. poss.* tunc enim si tales fuerint testes, ut adhiberi possint, nihil nocet, si quid iis contigerit postea. *d. l. 22. §. 1.* puta si quis servus factus sit postea aut intestabilis, furere cæperit aut prodigus esse.

## X X X I I.

Quid ergo si quis adhibitus sit, qui quidem adhiberi prohibetur, sed qui communis opinione pro tali, Testamenti tempore, habebatur, qui adhiberi potest; puta servus si sit adhibitus, qui omnium opinione existimabatur liber, cuique nemo tempore eo status controversiam movebat. Et licet Testamentum hujusmodi per se momentum nullum habeat, utope contra formam juris publici, cui nemini derogare licet. *l. 45. §. 1. ff. de R. f. initum;* licet, inquam, ex rigore juris vitiosum sit hujusmodi Testamentum, Impp. tamen ex liberalitate sua, ne ignorantia justa testatori noceat, (cujus voluntati ultimæ quam maxime subveniendum est) & hoc sustineri voluerunt, ut perinde haberetur firmum, ac si, ut oportebat, factum esset. *§. 7. f. de test. ord. l. 1. C. de testam.*

## X X X I I I.

Per accidens vero inhabiles sunt testes quidam ratione conjunctionis alii ratione Institutionis. Et quidem *ratione conjunctionis* filius in Testamento patris, cuius in potestate est, testis esse nequit. *§. 9. f. de test. ord.* Sed & si filius fam. de castrensi peculio post missionem faciat Testamentum, nec pater ejus recte adhibetur testis, *d. §. 9.* secus si Testamentum fecerit filius ante missionem jure militati quo casu & Patrem recte testem habet per. *l. 20. §. 2. ff. qui test. fac.* nec potestatis

vocatio

## 16 DISPUTATIO JURIDICA

vocabulum ad liberos tantum, qui in potestate sunt<sup>1</sup>, sed ad eum quoque quem quis ab hostibus redemit, referendum est d. l. 20. §. 1.

### X X X I V.

*Ratione autem Institutionis Testamento adhiberi testis non potest heres scriptus vel is qui in potestate heredis est vel pater ejus vel fratres §. 10. f. de test. ord. nullus enim idoneus in re sua testis intelligitur l. 10. ff. de testib. quod tamen ad Legatarios extendi vel fideicommissarios non debet §. 11. f. de test. ord. cum omne quod agitur negotium inter testatorem & heredem gestum intelligatur. §. 10. f. eod. & quæso quo jure, quove pretextu eorum testimonia recusabit heres (non enim ab alio quam herede repellendi forent) qui vel hoc testibus debet quod & ipse universam nactus sit successionem? ut recte Bachovius.*

### X X X V.

*Testamentum nuncupativum est quod testator viva voce facere voluit; nuncupare autem heredem dicitur is, qui lingua & verbis heredem pronunciat: unde nuncupare heredem & heredem pronunciare, pro eodem usurpantur l. 25. ff. qui test. fac. ceterum palam hic voluntas nuncupanda est l. ult. ff. de jur. codicill. non utique in publicum, sed clare ac intelligenter, ut à testibus exaudiri intelligique possit l. 21. in pr. ff. qui test. fac. & l. 21. §. 2. C. de testam. Proinde quod in Testamento scripto necessarium haud est l. 20. §. pen. ff. eod. In nuncupativo omnino necessarium putamus, ut testes intelligentiam habeant sermonis testatoris quo facit. l. 209. ff. de V.S.*

### X X X V I.

Hujus autem Testamenti eadem sunt requisita quæ scripti,  
Scriptu.

Scriptura excepta, subsignatione & subscriptione. Testator enim praesentibus septem testibus iisque idoneis, simul unoque tempore collectis, atque ad id specialiter rogatis, uno eodemque contextu ultimum voluntatis suæ elogium narrat, nuncupatque palam heredem, quem sibi delegit ac instituit *l. 21. §. 2. C. de testam.* & *l. 21. ff. qui test. fac. poss.* Estque hæc nuncupatio heredis de forma testamenti, adeo ut omissa ea, licet retulerit se testator ad scripturam aliam, qua nomen continetur heridis, non sustinebitur ejus voluntas ut nuncupativa *l. 29. §. quod si non C. de testam.*

## XXXVI.

Attamen necesse non est ut testator cum nuncupat, utatur verbis formalibus ac solennibus, cum verba ista in usu esse desierint *l. 26. C. de testam.* neque prædicere necesse habet, testes ideo accitos, convocatos, quod velit testamentum sine scriptis condere, aut in scriptis ordinare, cum ex eo quod scripturam profert, aut non profert, facile quid inquiratur, testibus intelligi poterit.

## XXXVII.

Nec præterea Testamentum desinet esse nuncupativum, licet ex post facto ad rei memoriam (ut fieri solet) redigatur in scripturam; cum voluntas testatoris, non scriptura, constituat Testamentum vel scriptum vel nuncupativum per *l. 4. ff. de fid. instrum.* & *l. 29. C. de testam.*

## XXXIX.

Ita satis dictum putamus de Testamento solenni tum scripto, tum nuncupativo iisque quæ eo pertinere visa sunt, certe pro instituto nostro. Reliquum est ut pauca de vi Testamenti perfecti ejusque effectu subjungamus. Et hujus quidem ea vis

C

est,

## 18 DISPUTATIO JURIDICA

est, ut heres, qui successionis est capax, in universum defuncti jus succedat, nec imperiali rescripto impediri possit aut rescindi Testamentum *I. 10. C. de testam.* quoniam nihil est, quod magis debetur hominibus, quam ut supremæ voluntatis, postquam aliud velle non possunt, liber sit stilus *I. 1. C. de S.S. Eccles.* adeo ut voluntas testatoris lex sit in Testamento Nov. 22. c. 2. ejusque prohibitio legis prohibitioni similis *I. fin. C. de reb. alien. non alien.* dummodo ea legibus non aduersetur: Nemo enim in Testamento suo cavere potest quominus leges in eo locum habeant *I. 55. ff. de legat. 1.* & *I. 120. ff. de V. S.*

## XL.

Unde si quid ex solennibus omittatur contra legum præscripta, adeo corruit Testamentum ut ex eo ne ipse Princeps hereditatem sibi vindicare possit. uti saepè constitutum est *I. 3. C. de testam.* heresque ab intestato defuncti bona cedere heredi scripto non teneatur neve legata in eo relictæ præstare per *I. 12. & 21. §. 1. C. de testam.* nisi tamen sit certus de voluntate defuncti tunc enim ipsum, in foro saltem conscientiæ, teneri, quod defunctus voluit, adimplere, verius est. *fac. I. ult. C. defideicom.* Quicquid in contrarium disputat vir. Cl. lib. 4. *Digress. c. 34. & seqq.*

## XL I.

Illud autem juris certi est ut qui ex Testamento vel ab intestato heres extiterit: & si voluntas defuncti jure non subsistat, tamen si sua sponte agnoverit, implendi eam necessitatem habeat *I. 16. §. 1. C. de testam.* atque ideo ultro si solvebit legatum heres, repetere non poterit *I. 2. C. de fideicom.* sed & illud postremo sciendum est, Testamenta secundum loci, in quo facta sunt, consuetudinem rite facta, ibique etiam, ubi diversæ obtinent solennitates, valere ac Effectum sortiri, tam quod ad mobilia quam immobilia bona, ut eleganter pro-

## I N A U G U R A L I S. 19

probat Sandius lib. 4. tit. 1. defin. 14. plane, si lex expresse testatores sequi jubeat jus loci, in quo bona sita sunt, aliud dicendum est. Ant. Perez. in Cod. de testam. n. 24. Et hæc quidem de Testamento solenni.

## X L I I.

*Testamentum privilegiatum* est in quo plura vel quædam saltem solennia remissa sunt. Quod rursus vel publicum dicitur vel privatum. *Publicum* est quando coram Principe per supplicationem vel apud acta Judicis aut Municipum, Testator mentis suæ postremum publicat judicium; quod & fieri potest, licet testes nulli adhibiti fuerint: Principis enim & Magistratus fides publica est, omnemque aliam superat solennitatem l. 18. & 19. C. de testam.

## X L I I I.

*Privatum* est Testamentum militare, quod à Milite in expeditione occupato, quoquomodo consecutum sustinetur absque ulla etiam testibus, si voluntas aliunde probari possit. Vid. l. 35. l. 40. l. 15. §. 1. ff. de test. milit. l. 15. l. pen. C. eod. similiter & Testamentum Patris inter liberos, manu ipsius Patris propria non notis sed literis plenis conscriptum, nullos testes desiderat, modo de voluntate constet. Nov. 107. & l. ult. C. fam. ercise. l. 21. §. 1. & anth. quod sint C. de testam.

## X L I V.

Sunt præterea & alia Testamenta quæ privilegiis muniuntur; inter quæ & illud quod tempore pestis conditur, refertur. l. 8. C. de testam. Nec non quod rurificatum est, in quo si plures non reperiantur, quinque testes sufficiunt. l. ult. C. eod. quibus denique & Canonistæ addunt Testamentum ad pias causas.

C 2

Vid.

Vid. Clar. §. Testamentum quæst. 6. sed hæc aliaque latius per se qui præsentis non est instituti.

## A D J E C T A.

I.

**U**susfructus sicedatur Extraneo; ad proprietarium revertitur.

II.

Lex 2. C. de resc. vend. in transactione locum non habet.

III.

Pœna capitii non tantum in Murorum Civitatis violatores, sed & municipiorum obtinet.

IV.

Mandator vulneris tenetur de cœde subsecuta.

V.

Nec tantum ante sed & post litem contestatam libellum corrigere licet.

F I N I S.